MCCVI. Robacomes fuit Poteſtas Veronæ; & eodem Anno Bonifacius Comes filius Sancii de Sancto Bonifatio cœpit pugnare cum Monticulis die Sabbati XIV. Maji. Et tunc combuſſerunt domos illorum de Carcere, ſtationes Mercatorum, & domos illorum Monticulorum, & illorum de Lendenaria, & multas alias domos Veronæ.

MCCVII. Azo Eſtenſis Marchio exiſtens Poteſtas Veronæ cum Parte ſua, & Communis Bononiæ ex una Parte, & Bonifacius Comes de Sancto Bonifatio & Monticuli ex altera Parte pugnaverunt, & fuit expulſus de Poteſtaria idem Azo Marchio; & Odoricus Vicecomes factus fuit Poteſtas Veronæ X. Junii eodem Milleſimo. Eodem Anno cùm dictus Azo Marchio in Feſto Sancti Michaëlis auxilio Mantuanorum rediiſſet in Veronam, & ipſum Odoricum, & Monticulos cum Parte ſua expuliſſet de Verona, domos, & Turres eorum totaliter diruendo, & ipſi Monticuli fugientes, intraverunt in Arcem Gardæ, & in Piſcheriam. Qui omnes ibidem fuerunt capti, & in Caſtro Eſtenſi conducti & captivati. Et eodem Anno Rex Philippus mortuus eſt.

MCCVIII. Azo Eſtenſis Marchio fuit Poteſtas Veronæ. Et eodem Anno Galvagnus de Turiſendis, & Monticuli, habentes Piſcheriam, juraverunt ipſi Marchioni, & dictam Piſcheriam eidem reddiderunt. Qui Galvanus, & Monticuli, ut ſupra, captivati fuerunt. In cujus Exercitu exiſtente circa Piſcheriam fuerunt Carrocia Veronenſium, & Mantuanorum.

MCCIX. Guilielmus Rangonus de Mutina fuit Poteſtas Veronæ. Et eodem Anno Otto Rex Romanorum deſcendit in Lombardia, & Monticulos traxit de carceribus, atque liberavit de carceribus Caſtri Eſtenſis. Et illo Anno fuit Romæ coronatus. Et Ordo Prædicatorum, atque Ordo Minorum oriuntur, & habuerunt principium. Eodem Anno dictus Comes Bonifacius cum Veronenſibus cepit Caſtrum Orſamò, & eum deſtruxit. Quod Caſtrum erat Ribaldi de Turiſendis; & ſimiliter Vazagum ceperunt & deſtruxerunt. Eodem Anno Bartholomæus de Palacio Poteſtas Veronæ cum Veronenſibus ivit contra Vicentinos apud Pontem Altum, & ibidem pugnavit eum eis *, Icerino de Romano; & capti fuerunt Joannes de Palacio, Icerinus de Muſto, & alii multi Milites de Vincentia, & conducti in captivitatem Veronæ.

MCCXIII. Aldevrandinus Marchio Eſtenſis fuit Poteſtas Veronæ; & Domaſolus, & Palmerius fuerunt Poteſtates Ceretæ. Et Monticuli cum parte eorum intraverunt Veronam in Feſto Sancti Martini. Eodem Anno Fredericus Imperator Secundus intravit Veronam, & fuit in majori Eccleſia Veronæ benignè receptus, vadens versùs Alemanniam, Othonem Imperatorem acriter perſequendo.

MCCXV. Dominus Innocentius Papa Quartus celebravit Concilium Generale Romæ, & in ipſo Concilio interſuerunt circa quingenti Epiſcopi, Mille Abbates, & alii Clerici infiniti. Eodem Anno Veronenſes iverunt in auxilium Mantuanorum ad Caſtrum Gonzagæ, obſeſſum per Cremonenſes, & Reginos, & per ſuccurſum Veronenſium levaverunt campum ad recuperationem dicti Caſtri, quod eſt recuperatum per Mantuanos. Deinde Veronam reverſi ſunt cum honore, & victoria.

MCCXXIII. XXV. Decembris in Feſto Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti horâ Tertiarum fuit Terræmotus in Lombardia undique ſuper Terram, & omnes perſonæ, quæ erant in Arena Communis Veronæ causâ tripudii & ſolatii, fugerunt extra dictam Arenam. Et Caſtrum de Marano, & domus illorum de Laziſio cecidit; & major Pars murorum & domorum Civitatis Brixiæ cecidit.

MCCXXVI. XXIX. Decembris, Dominus Leo à Carceribus fuit factus Capitaneus Veronæ, & unà cum Parte Monticulorum, & Quatuor viginti de Verona cum eorum Parte pugnaverunt in Civitate Veronæ contra Rizardum Comitem Sancti Bonifacii, & ejus Partem. Et eodem Anno eum devicerunt, & totam Civitatem Veronæ habuerunt & obtinuerunt, capientes Dominum Guifredum de Provale de Mediolano, qui erat Poteſtas Veronæ, eumdem carceri mancipantes in vinculis ferreis in domo habitationis Domini Guilielmi de Zerlis de Verona. Eodem Anno Dominus Leo à Carceribus pro medietate Anni, & Dominus Icerinus de Romano pro altera parte Anni fecerunt diruere & deſtruere muros & Domos Partis Comitis, ipſis Dominis Leone, & Icerino exiſtentibus Poteſtatibus Veronæ. Et eo Anno Dominus Conradus fuit Poteſtas Ceretæ. Eodem Anno Cremonenſes, Mutinenſes, & Parmenſes ex una parte, & Bononienſes cum Reginis, Imolenſibus, Faventinis, & ceteris quantitatibus Militum Lombardiæ ex altera parte, pugnaverunt inter ſe apud Caſtrum Bazani Diſtrictus Bononiæ, ſuccumbentibus Bononienſibus cum parte eorum, altera parte Victoriam incumbente; & ibi fuit magna ſtrages. Eodem Anno Dominus Icerinus de Romano cum Parte Monticulorum Vincentiam acceperunt, & eam ſuo dominio ſubjugavit.

MCCXXX, die Dominico VII. Aprilis in die Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, In Campo Marcio de Verona fuit magnus rumor; ex quo fuit mortuus Nepos Robaldi Inrigeti Migolæ, & multi alii vulnerati: propter quod Raynerius Ruzerius Veronæ Poteſtas confinavit Rizardum Comitem Pecorarium, Aleardinum de Lendenaria, Monticulos, & Quatuor de viginti cum eorum Parte ad ſtandum Venetias ob cauſam dicti rumoris. Et in Sancto Petro de menſe Junii Pars dicti Comitis cœpit pugnare cum Parte Monticulorum, & Quatuor viginti, qui erant reverſi de Venetiis; & tunc ipſe Comes fuit captus cum Parte ſua, inter quos fuerunt capti Pecorarius de Mercato Novo Veronæ cum uno ejus filio, Guilelmus de Lendenaria, Græcus de Moratica cum uno ejus filio, Guilelmus de Zerlis cum duobus ejus filiis, Donatus, Bonfacius, & Joannes de Palatio, Leo de Carcere, Conſtantius Canonicus, Valerianus de Braganzo, & multi alii tam milites, quàm pedites de Verona, & domos & Turres eorum projecerunt in terra, ipſis poſitis in vinculis ferreis in domibus Cerlorum, & Bonacurſii de Monzambano; & poſt paucos dies conducti fuerunt in Palatio Communis Veronæ, & in gabiis carcerati. Et eo Anno Salinguerra fuit Poteſtas Veronæ. Eodem Anno die Lunæ IX. Septembris Azo Novellus Eſtenſis Marchio, & Veronenſes extrinſeci, Stephanus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ, Paduani, Vincentini cum eorum Carrociis in auxilio prædictorum fuerunt ad Caſtrum Ponti, & obſederunt eum per terram,

&